

**Dissertatio inauguralis de inflammatione aurium / [Ludwig Gottlieb Breuning].**

**Contributors**

Breuning, Ludwig Gottlieb.  
Brotbequius, J. C.  
Universität Tübingen

**Publication/Creation**

Tübingen : J.H. Reis, 1667.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/bsvvkm8q>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

16  
*Quod Deus T. O. M. benè vertat!*

DISPUTATIO INAUGURALIS

De

# INFLAMMATIONE AURIUM

*Quam*

Pro summis in arte Medica Honoribus & Privilegiis  
Doctoralibus rite acquirendis

*Adjuvante divino Numine*

Permittente inclyto Facultatis Medicæ  
Tubingensis Collegio.

PRÆSIDE,

JOHANNES CUNRADO BROTH-  
BEQUIO, Phil. & Med. Doctore, hujusque Pro-  
fessore ordinario, & Medicæ Facultatis t. t.  
Decano.

*Solenni & publico examini exponit*

LUDOVICUS THEOPHILUS Breining /  
Stutgardianus.

IN AULA NOVA,  
horis consuetis.

*Ad diem 16. Martij,*

TUBINGÆ.

Typis JOHANN-HENRICI REISL,

ANNO M. DC. LXVII.



ILLUSTRI VIRO  
DN. GUIDONI PATINO, Doctori ac Professori  
Medicinæ apud Parisienses Regio  
Seniori, alterique Galeno, longè  
celeberrimo & experientissimo;  
mihi Præceptoris, summiq; be-  
nefactoris instar devenerando.

*Hanc Disputationem Inauguralem*

Ad declarandam pro acceptis beneficiis gra-  
ti animi ἀνάμνησιν, nec non ulterioris benevo-  
lentiæ ac favoris promerendi ergo jure merito-  
que

*offert & dedicat*

Ludovicus Theophilus  
Breuning.



## P R Æ L O Q U I U M.

**M**Orborum in universum nonnulli citissimè hominem interimunt, veluti apoplexia fortis, vel sensim, ut hectica, sine tamen dolore; alii plus doloris habent, quàm periculi; sicuti spasmi, Podagra. Ultimum genus ex hisce mistum dolorificum est & mortiferum simul. Ad quod probandum præsentem affectum inflammationem scil. aurium, utpote duplici hoc nomine gravem & propterea maximè dignum, ut hujus disputationis materiam constituat, exempli loco in medium produxisse sufficiat. Omnes quidem morbi Sacram Palladis arcem occupantes per se magni momenti sunt, hunc tamen in primis formidabilem reddit tristis ipsius Comes, vehementissimus dolor, qui tantæ interdum est ferocitatis ut in syncopem & furorem agros. conjiciat, tandemque miserabiliter excruciatos interimat. Quorum multa exempla curiosus lector apud plurimos historiarum medicarum scriptores inveniet. Constitueram equidem pro inauguralis disputationis materia medicum Sudoris examen proponere, sicuti physicum ejus ante sex annos in hac ipsa schola Patria laudatissima sub eodem hujus disputationis Præside sustinui. Verùm nupera memet ipsum affligens inflammatio, & purulentus (ut ita dicam) inde exortus Sudor & fluor aures in tantum mihi vellicarunt, ut à proposito desistere, & illum ipsum affectum pro convenientissima materia eligere & in theses contrahere, ita per mittente gratiosissima nostra Facultate Medica decreverim.



*Nolui autem in ea tractanda verbosa, & in longam nimis excurrenti disquisitioni studere, sed breviori, quam Galenus libro de finitionibus optimum dicendi genus vocat, modò rem bellè exponat, & methodicè, & paucis multa doceat.*

*Tu O benignissime Deus cujus ope periculosos illos insultus feliciter vici, eandem & nunc mihi largire, ut sanà mente de illis in cathedra differens Spartam commissam benè adimpleam, nec unquam obliviscar tuorum meritorum erga me, debitæque pietatis erga te, quam omnis eruditionis coronam esse credo, & complementum.*

## T H E S I S I.

**N**ominum notionem in disputationes adsumi & tanquam limen spectari debere Galenus multis in locis docet. *m. m. lib. 1. cap. 5. item lib. 2. cap. 1. ut & in libro de opt. constit. lib. 6. & 9. Hipp. & Plat. decretis.* imo hâc incedentem methodo optimi Præceptoris nomine dignatur, itaque ne ἀμέθοδοι & nos simus, à nominis explicatione incipiemus, realem postmodum tractationem in causis, subjecto differentiis, signis & curatione consistentem tradituri.

## I I.

Inflammationis etymon facilè inmotescit ex resolutione vocis in præpositionem *in* & vocabulum *flamman*, ac si diceres, *in flamma* esse, Germanis *Entzündung* dicitur. Græci φλεγμονήν, φλόγωσιν aut φλεγμασίαν vocant à verbis φλογίζω, φλεγέθω, aut φλέγω, inflammo, comburo, exuro, ita ut naturam φλεγμονῆς in flammeo calore consistere vel ex solo intelligamus nomine,

Antiquo



## III.

Antiquo & obsoleto nomine inflammatio *inflamen* vocatur, quasi à succensa flamma ob humorum à quibus fit, caliditatem, item inflammatio apud *Gal. in aph. Hipp. l. 5. & in progn. Hipp.*

## IV.

Cum igitur *πλύσμημον* sit hoc vocabulum & valdè æquivocum ambiguitas autem errorum mater audiat *cap. Gal. de Hipp. & Plat. decretis lib. 6.* quæ animum incertum relinquit secundū Philosophum *lib. 1. de Cælo t. 100.* primū per explicationem & ipsam definitionem tollenda est, ut veram significationem sciamus, in cuius usu claritas est, *Gal. m. m. l. 2. c. 1.* Missis autem minus medicis acceptionibus, dicimus *φλεγμονῆς* vocabulum variè sumi, primò generalissimè, 2. magis strictè 3. propriè & specificè.

## V.

Latissimè sumitur ab antiquis Medicis, qui ante Galenum vixerunt, pro *φλογώσε* sive omni incensione, calore aut rubore sine tamen ullo tumore *in aph. 65. Hipp. l. 5. it. in lib. Hipp. de fract. com. 3. Sect. 8.* imo etiam affectiones ex simplici & nuda intemperie *lib. 2. ad Gl. c. 1.* Minus generaliter & magis determinatè pro tumore, quovis & turgiditate, cum calore, dolore, tensione, & pulsu à quocunq̃ humore, unde etiam Oedemata dolentia & inflammationes spurias, ut & erysipelata, carbunculos, phymata &c. pro inflammationis speciebus hoc sensu agnoscere licet. *lib. 2. ad Glauc. C. 1. Thom. Rod. à Veig. Com. in libr. Gal. de differ. febr. lib. 1. cap. 3. & d. loc. aff. lib. 2. c. 3.* Strictè verò & exquisitè accipitur pro tumore à sanguine accenso, tandemque putrente & carnosus præcipuè partibus impacto.



*ap. Gal. lib. 2. Cris. c. 12. videatur etiam Thom. Rod. à Veig. Com. d. loc. aff. l. 2. c. 3.*

## VI.

In posteriore igitur sensu magis accipienda est inpræsentiarum inflammatio aurium, scil. pro tumore illarum interno calido, à sanguinis effervescentis & copiosi affluxu, cum exquisitissimo, pungitivo & pulsatili dolore, præsertim dum putrescit & in pus abit, cum frequenti ut plurimum aurium sonitu, febre, abscessu, & nonnunquam gravi delirio atque convulsione.

## VII.

Subjectum ergò est quidem *auris*, non tamen ita ut hoc nomine pendulam illam partem utrinque capitis lateribus adhærentem, quæ communiter auricula vocatur indigitemus, verum interiorē magis apparatus organorum ad auditionem pertinentium, tum etiam alias propter viciniam compatibles, magisque sensibiles partes uti sunt cerebrum ipsum, meninges, nervi, & muscoli. Intima tamen aurium cavitas post tympanum rarius affligi creditur, maximè verò quando hæc partes suâ natura debiliores, magisque ad flexionem recipiendam dispositæ sunt. Notatu autem dignus hîc occurrit & à nemine satis hucusque explicatus saniei, purisque contenti locus, quem aureus ille Marcus Aurelius Severinus in suo de recondita abscessuum natura lib. 7. cap. 15. detexit, ita scribens: Refert Iulius Cæsar Arantius tum in lib. de tumor. c. 25. tum l. de anat. observ. c. 29. In auris anteriore particula situm quoddam adenosum corpus replens cavitatem quæ supra Massaterem est, multis usibus inserviens, quorum tertius ad retrimenta, quæ ex iisd. vasis emanant, suo sinu, colligenda. Hæc igitur una sedes est, & hic locus in quo primum advecta materia suppuratur. Argumento



mento autem est, quod si stagnantes, hi sinus manu compri-  
mantur, pulsus humor, sursum ex auris concha efferetur facile.  
Interea tamen in fine capitis non negat, posse etiam in-  
terna, sub auricula abscessum creari saniemque educi vel per rare-  
factam membranam vel per rimam inter porum auditorium, &  
os Calvarie. vel ut aliis etiam placet ex arteriis ipsis au-  
rium cavitati insertis. Vid, Rod. à Fons Tom. 1. Consult. 39.  
Fallopium & alios.

## VIII.

Quoniam verò cognoscimus ut medeamur,  
impossibile est, morbis benè prospicere, nisi illorum  
causas exactè teneamus. Unde necessum est, ante-  
quam ulterius progrediamur, ut illas prius explicemus.  
Possunt autem dispelci in materiales & efficientes,  
hæ rursus in externos & internos, antecedentes &  
conjunctas.

## IX.

De materiali jam locuti sumus, quando inflamma-  
tionem sanguineæ fluxionis sobolem vocavimus. Ubi  
notandum nos pro primaria propriaque materia in  
specie rubicundum illum humorem in venis, arteriis-  
que contentum intellectum velle, interea tamèn ge-  
neraliter & secundariò promiscuam vasorum mate-  
riam & humorem quemvis inflammabilem sanguini  
commixtum admittere.

## X.

Hic sanguis cum copiosior influit, quàm partis  
Natura expostulat, internæ antecedentis causæ nomen  
acquirat. Conjunctæ verò cum actu jam inflammatus  
vel accensus & putrescens partique impactus eandem  
graviter, dolore urente, distendente, pulsario, lanci-  
natorio, & punctorio affligit.

## XI. Can-



## XI.

*Causarum fluxionem istam efficientium nomine omnes* veniunt, quæ *sanguinem* ita generant & augent, ut proprio impetu moveatur, atque in aurium partes illabatur, ita, ut, dum continentis spatium à contenti copia superatur, quâ datâ portâ humores erumpant & vasa aperiendo viam sibi parent, quod in athleticis & plethoricis corporibus facile evenire potest. Tales causæ inter *internas* sunt viscerum nutritionis & coctionis operi inservientium robur. *Inter externas* cibi boni succi, sanguinis proventum augentes, vita vegeta, animusque liber & curis vacuus &c. II. *Quæ motum cordis vehementiorem reddunt & facultatem expultricem irritant*, ut indignabundum quasi cor violenta constrictione sanguinem in arterias capitis, auriumque usque impellat, hocque exoriatur malum; Sic inter *internas* sunt morbi calidi, inter *externas* usus nimius ciborum calidorum, & aromatizatorum, medicamentorum item igneæ Naturæ, compotatio frequens in vino generoso, vehemens exercitium, longum sub sole iter. Ictus, casus, sternutationes validæ &c. Ubi non intermittendæ sunt res extra in aures illapsæ vel studio intrusæ veluti sunt lapilli cerasorum, fabæ, pisa, animalcula, quæ primò dolorem ex distentione & solutione continui, postea inflammationem, & gravia pericula inferre possunt.

## XII.

Hæc de causis, nunc *de modo generationis*, de quo non aliter sentiendum est, quàm de reliquarum partium inflammationibus. Sanguis scil. à prædictis causis solitariè vel conjunctim agentibus in motum solito vehementiorem actus immoderata repletionem arterias



terias totius, & capitis inprimis distendit, quæ tantæ abundantia continendæ, vel longiori impulsioni sustinendæ incapaces, modo per anastomosis, modo per diæresin, jam per ruptionem oscula sua aperiendo sanguinem in partes proximas aurium, vel in ipsa illarum spatia inania effundunt, qui sanguis extra locum naturalem naturam suam retinere nesciens illicò p. n. alteratur, incandescit, putrescit & interim dolorem vehementissimum excitat usque dum suppurationis opus perfectum & pus quocunque modo eductum fuerit. His persæpè ob sanguinem in toto inflammatum febres vel antecedentes vel concomitantes vel consequentes accedunt. Sin verò in cerebro membranæ & nervi incendio corripiantur, haud rarò deliria & convulsiones aliaque symptomata, ipsaque etiam mors sublequuntur.

## XIII.

*Differentias* quod concernit, illarum tot sunt, quot aliarum inflammationum, desumuntur enim primariò à Subjecto receptionis, parte scil. affecta & causis, secundariò autem ab accidentibus.

## XIV.

*A parte affecta*: Si partes auris internæ inter se conferantur inflammatio alia est *interna* & latens in partibus auris magis reconditis post tympanum, vel *media* in externo meatu auditorio, vel *prorsus externa* in semicirculari auricula consistens. *A causis* alia est à sanguine puro, quam Galenus passim exquisitam phlegmonem vocat, alia à bilioso, alia à sero excrementitio, aut ichoribus humorum permixto, unde phlegmone œdematodes, erysipelatodes &c. Quid enim prohibet, quo minus quæ in aliarum partium inflammationibus



nibus contingunt, etiam in auribus fieri possint? *Gal. l. 2. ad Glau. c. 1.* duplices facit cum vel sine materia, quarum primam humidam, alteram siccam inflammationem vocat, quam sine humoris influxu à calore p. n. effervescente oriri statuit. De humida jam actum est. Rursum alia est *idiopothica* quæ à sua causa primaria orta est, vel *Sympathica* & secundaria, quæ febrem consequitur. Iterum alia est *vehementior* quæ profunda, *remissior*, quæ externa magis est. Ratione *temporis*, alia est incipiens & in fieri adhuc, alia consummata & perfecta. Ratione *modi & viæ solutionis* alia per venosum genus & ita per introreceptionem & regressum in venas materiæ purulentæ per urinam & alvum solvitur, alia per meatum aurium externum, nares, palatum, tumores post aures materiam educere solet.

## XV.

Consequens nunc est, ut *signa* subnectamus, quæ sunt vel diagnostica, præsentem inflammationem, vel prognostica, futuram indicantia.

## XVI.

*Signa præsentis* alia internam, alia externam patefaciunt; Internæ indicia comprehenduntur sub dolore, calore, sonitu, pulsatione, auditus gravitate, febre & delirio. Priora signa sunt pathognomonica semperque adsunt; ultimum accidentarium est.

## XVII.

Neque insuper perspicaciter opus est ad præsentem & perfectam aurium phlegmonem cognoscendâ. Nam velex sola ægri relatione res non nihil manifesta evadit, conqueritur scil. ille de symptomatis recensitis quæ signorum pathognomonicorum vicem sustinent, & primò omnium de tyrannico illo dolore in  
parti-



partibus aurium internis, qui vehementissimus est, continuus, aut cum levi saltem intermissione, punitivus, pulsatilis, illique optimè explicabilis, qui ipsum sustinuit, calor intus molestus est & intensissimus, febris etenim individuus comes ferè est inflammationum, aut certè febricula, unde facilè delirium excitatur, materia calida cerebrum afficiente. De dolore notandum: ipsum nunquam magis exquisitum esse, nisi dum Natura suppurationi incumbit, maximum verò fieri, si fortè tussis vel sternutatio supervenerit, tunc enim acutissimus est, ita ut emori magis optet æger, quàm frequenter longiusque talem sustinere.

Sonitus quoque, pulsatio fortis & frequens cum auditus gravitate in omni contingunt auris inflammatione, quoties enim cordis fit contractio, sanguinisque in corpus distributio, æger existimat plenum aere follem arteriis apponi, & ita violento planè & dolorifico modo sanguinem cum spiritu in aures propelli, unde omnia ebullire, sonitum edere, distendi, & cum dolore pulsare sentiuntur.

## XVIII.

*Externa & præcipuè media*, quam supra proposuimus, *inflammatio* iisdem ferè signis, magis tamen evidentibus, maximè autem tumore calido & rubore, quem ferventissimus sanguis in superficiarias & extremas illas effusus partes excitavit, dignoscitur.

## XIX.

*Instantis phlegmonis signa* neminem credo, melius describere posse, quàm ille, qui sæpius hoc malo vexatur, quibusdam enim æquè familiare est, ac mulierculis suum erysipelas. Duo autem præcipuè sunt signa i. *Titillationis* quidam *sensus* in aure interna, qui ad auri-



scalpium invitat patientem, quasi cerumen vel aliud quid molestiam crearet, cum tamen ubi instrumento ad ipsum tympanum perventum fuerit, nihil tale deprehendatur, argumento, quod titillatio ista longè ab alia excitetur causa II. *Subsequens gravitatis* quidam *sensus* qui in principio quidem nullo notatu digno dolori conjunctus est, mox tamen in illum convertibilis cum sonitu, & incipiente pulsatione. In quocunque igitur subjecto facili aliàs ad hoc malum, prægressis præcipuè causis sanguinem excitantibus, hæc accidunt, subsecutura certissima aurium phlegmone prædici potest. Præcipuè autem æger hoc in se ipso deprehendit, unde in principio statim, si sapit, ut malum futurum præsentaneis remediis averruncetur, curabit. Sicuti in epilepticis nonnullis contingit, qui halitum vel auram quandam ex inferiore corpore ascendentem sentiunt, ceu futuri augurium paroxysmi, & proin adstantes, ut ipsis succurrant exhortantur.

## XX.

*Prognosis* quod spectat, est morbus acutus, & valde periculosus, cujus eventus ex sequentibus signis judicari potest.

## XXI.

Triplex verò est horum signorum differentia & primò quidem salutis vel mortis, II. Modi eventus III. Temporis.

## XXII.

*Salutarem vel tristem eventum prænuntiant* sequentia signa. Mortem quidem, si causæ efficientes & materiales fortes fuerint & symptomata vehementissima excitent, lipothymias, deliria, convulsiones &c. viresque



resque à vi morbi fractæ succumbant, nec resistere possint, si phlegmone ferox sit & pertinax, atque in partibus absconditis & internis, nihil per alvum aut urinam materiæ egeratur, vel per aures; si febris semper vires sumat & augeatur, tempus æstivum sit & caniculare &c. corpusque sit biliosis & pravis refertum succis. Bonum eventum, contraria si adsunt, sperare licet.

## XXIII.

*Modum eventus & solutionis*, num scilicet sponte per crisin, vel simul artis ope ista tolli inflammatio possit, an verò suppuratio expectanda & per loca consue- ta evacuanda sit, suppeditant, præter alia, medica- mentorum frustranei vel proficui usus. Si enim re- pellentium, vel fomentorum resolventium, aliorum- que medicamentorum usu, sonitus & incipiens grava- tivus dolor utpote instantis phlegmones signa, in totū non remiserint, sed gravativus in pungitivum & acutū convertatur, pulsatio in auribus frequentior & fortior fiat & calor subsequatur fervens & æstuans, vel si uni- versalis conjuncta fuerit inflammatio, & febris magna, quod non infrequens est, tunc suppuratio expectanda est, & per loca excretioni dicata evacuanda. De quibus Th. VII. & XIV. dictum.

## XXIV.

*Brevitatis vel longitudinis signa* suppeditant causæ maximè materiales & ætates; citò enim terminatur, quæ à puro sanguine est inflammatio; tardius, quæ à bilio- so, omnium difficilimè quæ à melancholico orta est, ita ut ex humoris natura facilè, vel difficilè in pus con- vertibilis, ipsius phlegmones tardior vel citior even- tus judicetur. Ætatis autem ratio nobis hîc habenda est,



da est, quia omnes morbi terminum salutarem citius assequuntur in corporibus juvenum, virumque robustis quæ virium integrarum sunt, quàm ubi fractæ jam & debiliores deprehenduntur, ut in senum corporibus. Si verò periodos intueamur, plerumque ad quartum vel septimum diem graviôres sese extendunt inflammationes, æmulantur enim adjunctæ febris indolem. Et juxta *Hipp. 6. epid. sect. 6. t. 14.* ejusmodi inflammationes tertia die plerumque perimunt.

## X X V.

Succedit ipsa *curatio* cujus fundamenta ex causarum, morbi, subjecti & symptomatum natura desumimus, secundum indicationum doctrinam.

## X X V I.

Primo itaque, cum non solvantur morbi manentibus *causis*, ab hac auspicabimur. Consideratur autem illa, I. quatenus est vel antecedens & in fluxu ad aures, nondum tamen affluxa, minus extravasata, sicque indicationem præservatoriam constituit, retractionem scil. & prohibitionem, ne actualiter influat, quod per universaliter & particulariter evacuantia obtinemus. II. Vel quatenus ipso actu parti influxa & impacta est, sicque curatoriam suppeditat indicationem communem, quæ à morbo ejusque continente causa desumitur, & evacuationem tam sensibilem & manifestam, quam insensibilem, nec non alterationem exposcit.

## X X V I I.

Secundo, ipsa inflammatio cum *tria morborum genera* involvat, debitas quoque constituit indicationes curatorias. Prima desumitur à morbo simili, qui est intemperies calida aurium, vel etiam totius, hocq; nomine refrigerantia & dyscrasiam præservidam cor-

rigen-



rigentia suadet. Secundam monstrat morbus organicus, qui est magnitudinis p. n. auctæ in ipsa aure interna, nempe tumor; ut & angustia, quædo vel nervi auditorii, à distentis vasis aliisque causis comprimuntur vel interni meatus auditorii obstruuntur. Tertia ex soluta unitate pendet, quæ est tympani distensio ac divulsio dolorifica ipsum tumorem concomitans, cujus materia mole sua distendente, etiam integra permanens vel tandem in pus abit, abscessum, sive ulcus producens. Uterque autem hic morbus vi continentis causæ evacuationem & imminutionem materiæ expostulat.

## XXVIII.

Tertiò à *subjecto*, locoque affecto indicatio desumpta talis videtur oriri, ut nempe aurium specifica, earumq; temperiem conservantia & restaurantia, cum per totum morbi tempus, tum potissimum in fine, peractâ priore omni cura tam extus quàm intus administrentur, insuper etiam, ut toti hoc modo prospiciatur.

## XXIX.

A *dolore* tandem, qui maximè hoc in morbo urget & in praxi primas tenet, desumitur indicatio, demulcendi ipsum, non modò per privativè sedantia, causam scil. removendo, uti jam dictum, sed etiam per positivè ac propriè lenientia & anodyna. Deliriis porro & convulsionibus aliisque consequentibus symptomatibus eâ, quâ licet, arte, pariter succurrendum est.

## XXX.

Omnes hi scopi, ut perfectè debiteque impleantur, tria illa Medicinæ instrumenta requirunt, Chirurgiam, Pharmaciam & diætam.

## XXXI.

Primas omnium tenet, *Venæ sectionem* suppeditans  
Chirurg-



*Chirurgia*, primum & præcipuum auxilium, sine quo, ex ipsius Galeni, aliorumq; sanæ mentis, Medicorū decreto, nulla notatu digna phlegmone curari potest, ita ut subinde in mentem veniat, monitum, magni illius & experientissimi Medici Galliarum Regis, *Dn. Guidonis Patini* Senioris in Academia Parisiensi Professoris & mei olim Præceptoris, honorificâ semper nominis mentione devenerandi, quo in simili casu rapiendam magis, quàm timido, lentove consilio sumendam venæ sectionem sollicitè semper & seriò nobis recommendabat, non sine multiplici propriæ experientiæ testimonio.

X X X I I.

Ab hac igitur auspicandum *curationis* filum, cum unicum hoc auxilium omnibus ferè indicationibus simul & unica vice satisfaciat. Et primò quodem ratione sanguinis ruituri & fluxuri in partem, quid est, quod melius sanguinem coerceat, & retrahat? Ratione repletionis, quid, quòd citius evacuet? Intemperiei ratione, quid, quod potentius refrigeret? & breviter, quid, quod præsentius ægros juvet, quàm venæ sectio?

X X X I I I.

Nec sufficit, sæpius, atque paululum extraxisse, sed requiritur, ut venæ sectio sit magna, & refrigerando, coercendoque sanguini sufficiens, præsertim ubi inflammatio magna est, corpus plethoricum, & plenum, vires constant, consueta aliqua evacuatio, veluti in mulieribus menstruorum, in viris & sequiore sexu hæmorrhoidalis, aut narium fluxus suppressi sint, & febris non remittat, adeò ut observatum sit, frequentius in tali & similibus casibus in defectu quàm in excessu à timidioribus peccari medicis, qui non advertunt, ipsum Galenum ad animi usque deliquium,

in



in excessu à timidioribus peccari Medicis, qui non advertunt, ipsum Galenum ad animi usque deliquium, in magnis inflammationibus sanguinem mittere, solitum fuisse. In specie sumenda est vena ampla, vulnus faciendum magnum, ut confertim sanguis possit exilire, sive unica, sive duæ aures simul laborent.

## XXXIV.

Universali revulsione corpore ita sublevato, ad particularia remedia quoque accedendum, quæ humores propinquos, à quibus metus est, ne & ipsi influant, avertant, & in alias derivent partes, qualia exchirurgicis sunt scarificationes, frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ scapulis appositæ, sanguisugæ narium hæmorrhagiam sollicitantes, vel pone aures applicatæ, vesicæ item, & setacea.

## XXXV.

Ex *pharmacia* remedia petuntur interna, eaque universalialia, ut purgationes per cathartica, vel particularia, externa & interna ad suos directæ scopos.

## XXXVI.

Propterea I. *Ratione causæ*, quia inflammatorii affectus graviores sunt & periculosiores in corpore impuro, vel cacochymico, nec alia particularia remedia effectus suos benè assequuntur, nisi corpus purgatum & à sentina liberatum sit, consultum, tutumque est, lenitivo pharmaco, ut ex *manna*, *cassia*, *foliis sennæ*, *rhabbaro*, *pulpa tamarind.* *syr. ex infus. multipl. rosar.* & id genus aliis humoribus exitum facere, verbi gratia, *R. decocti passul. min. cum sero lactis parati ℥iij. Syr. ros. solut. ℥j B. pulp. tamarind. ℥B. crystall. Tart. ℥j. M. f. potio pro una dosi.* Neque inutile erit, statim in principio etiam ante venæ sect: clystere eluente & alvum movente vel revellente uti. Sic *R. decoct. commun. pro clyst. ℥viii.*

C

mellis



*mellis ros. sol. ℥iii. &c. vel R. Herb. cich. endiv. āā. m. j. rad. cich. tarax. āā. ℥i. rhab. el. ℥iij. sem. 4. frig. maj. ā. ℥i. Coq. in s. q. seri lact. caprill. R. Colat. ℥x. in quibus dissolve elect. de succo ros. ℥i. & sal. gem. ℥i. f. clyster revell. Hæc vel alia pro patientis ætate & naturæ, aliarumq; circumstantiarum conditione in usum venire, vel variè immutari, & pro ut effectum præstant, omitti vel repeti possunt. Porro etiam sudorifera suo tempore profunt.*

## XXXVII.

His *particularia* succedant 1. quæ humores attrahunt & à parte affecta avertunt, ut sunt gargarismata, collutiones oris, errhina, ut quæ sine sternutamento humores eliciunt. 2. Quæ humores venæ sectione imminutos cautè repellunt, vel intercipiunt, qualia sunt actu calidè auribus vel tepidè imposita, in se tamen refrigerandi vim habentia. 3. Quæ humores, post evacuationē relictos, resolvunt & insensibiliter discutunt. Talia sunt sacculi ex floribus *Chamom. Calend. Lavend. ruta, pulegio, malva, althea, sem. fœnic. &c.* in lacte recentermulcto cocti, decoctiones item ex herbis *Card. ben. scabios. flor. chamom. & meliloti, solani, aneth.* quorum fumus per infundibulū excipitur. Notandum tamen sive hisce, sive cataplasmatibus utaris, anodynorum semper rationem esse habendam, propter dolorem, qui eorundem usum toto morbi decursu exposcit, præcipuè verò in statu.

## XXXVIII.

Secundò, *vi morbi*. 1. Si in solis auribus, & levior quidem fuerit inflammatio, leviora sufficiunt ipsis auribus instillata, potentialiter quidem frigida, actu autem calida vel tepida. XXXIX.

2. Si inflammatio in toto febrilis est, refrigerantia, & humectantia antifebrilia passim notissima profunt,



sunt, quæ simul per successionem, & transmissionem ad aures quoque pertingunt & satisfaciunt.

## XL.

3. Si verò longius duret & ingravescat inflammatio, ut his omnibus nil efficiatur, danda opera, ut suppuratio promoveatur maturantibus & digerentibus, ut cataplasmate *de mica panis, & lacte, vitellis ovorum, oleo rosaceo, croco &c.* Quidam etiam *adipes, axungiasque gallinarum &c.* auribus instillant. 2. Ut abscessus rumpatur, de quo ita sentiendum est: Si inflammatio interna latet, soli utique Naturæ per debita medicamenta, derelinquenda est ruptio, si verò in externo meatu tumor est, isque concoctus, quo minus artificis manu aperiri possit, etiam antequam spontanea fiat ruptio, quid impedit? Sedulò tamen cavendum, ne temerè aut imprudenter res agatur, & ex abscessu ante maturitatem aperto, recrudescentem aut malignum efficias, qui perniciosissimum ulcus relinquere solet. *Post ruptum* itaque abscessum studendum est, ut ulcus detergentibus & siccantibus debitè tractetur, summa etiam cum diligentia cavendum, ne frigidus aer aures lædat, aut aliquid prætermittatur, aut imprudenter administretur quod impuritates detineat, & ulcus fistulosum faciat. Unde leni iterum pharmaco alvum movissè, non nocebit. Ex abstergentibus probata est *urina*, prout emissa est, guttatim in aures stillata, *serum capr. cum paucis croci, vinum, &c.* ex fortioribus sunt *succi cyclaminis, betæ, marrubii, parum myrrhæ, thuris cum syrupo aliquo*, in forma liquoris per intervalla instillandi, sæpiusq; repetendi.

## XLI.

Tertio, quia *dolores* valdè urgent, leviora anodyna ab initio auribus instillantur, talia sunt *olea rosar. cham. amygd. nymph. lac. mul. capr.*



*capr. crocus, camphora.* Hæc autè & similia calidè, vel tepidè auribus instillantur & per intervalla repetantur, bombyce, vel lana, cui moschi momentum additum sit, auribus iterū obstructis. Tandem verò, si dolor nimis pertinaciter perseveret, ad opiata etiam veniendum, quæ molestissimum illum Naturæ hostem sedare, phrenitidem præcavere, viriumq; recollectionem adjuvare possunt, veluti sunt mitiora quædam, ut *theriaca coel. & officinales, papav. errat. Solanum.* ex fortioribus, *laudanum opiat. extr. opii &c.* Rod. à Fons. valdè hîc commendat *Nepenthes Quercetani.* Verùm hæc & similia cautè & prudenter usurpari volumus, præsertim cum ipse *Galenus* illorum usum improbare non nihil videatur *lib. d. comp. med. secund. loc. l. 2. c. 7.* Potest autem horum usus non modo externus, sed & internus concedi, sicut in phrenitide, quæ hîc etiam metuenda.

## XLII.

Quartò. *Subjecti merito.* Totum simul inflammatum cum aure, frigida & humida desiderat. Sed hîc determinatè, quæ magis caput respiciunt, & corroborant, eligenda sunt. Aures verò idèd talia requirunt, quò dispositio ad recipiendum imminuatur, econtra virtus ad repellendum & expellendum conservetur & augeatur, cujusmodi sunt cephalica modicè frigida, vel temperata, simplicia & composita per se, vel mixta invicem usurpata. Liquida tamen inprimis probantur. *Ex simplicibus* sunt ambra, mosch. margar. Corall. camph. sperma ceti, ping. anguillæ, leporis, murium. Nymph. papav. errat. Huc pertinet aquilonia aeris constitutio. 3. aph. 17. *Ex compositis* extant spec. diamargar. & de gem. frig. & cal. pulv. analept. Mind. tripl. Troch. de Camph. &c.

## XLIII.

Tandem ex *Dietetico fonte* ea petuntur, quæ ægrum nutriunt, sicuti in febribus. Quamdiu enim dolor & febris perseverant, tamdiu tenui victu utendum est, quousque patientis constitutio magis, minusve ferre potest. Quocirca vino aliisque calidis ægro plane est interdicens. Potus erit, Julepus aliquis refrigerans, succus ptisanæ vel decoctum hordei &c. His & alia ex 6. R. N. N. desumpta, respondeant necesse est. Et sic pro ratione instituti satis.